

Ralle



29

1731, 24

FACVLTATIS JVRIDICÆ
DECANVS,
JO. PHILIPPVS
Streit, JCtvs,

EMINENTISSIMI AC SERENISSIMI PRINCIPIS
ELECTORIS MOGVNTINI CONSILIA-
RIVS REGIMINIS,

L. B. S.

ERFORDIÆ,
Typis JOH. CHRISTOPHORI HERINGII,
Acad. Typogr.

LACAFATATIS JURIDICAE
DECANVS
JO. PHILIPPO
KELLE TCGTAS

EMINENTISSIMI AC SERENISSIMI PRINCIPIS
HERCULANAE MAGISTRATI CONSULTI
KVR REGUMVS

33

KRISTOF DIB
TJES JOH. CHRISTOLOPHORI HERINGII
AEG. T. 1008



Atura jurisprudentiae colligitur, ex
ejus definitione in §. i. inst. de j. & j.
hisce verbis: *Est divinarum argue hu-
manarum rerum noritia, justi argue in-
justi scientia.* Alii eam definitur,
quod sit habitus practicus, quo ju-
stitia in actiones hominum civiles
introducitur. Quod enim sit qualitas homini super-
veniens, ac in censum pertineat habituum, nemo ne-
gabit; sed an virtutis encōmio digna sit, inter se Autho-
res discrepant. Quamvis autem vocabulum virtutis
in sententias varias abeat, hoc loco tamen sumitur pro
vigore animi, quo homo idoneus redditur ad operatio-
nes, naturae sua consentaneas præstandas; & com-
modissime referunt ad habitum prudentiae, quæ defi-
nitur, quod sit habitus intellectualis cum reclā ratione acti-
vus eorum, quæ bona sunt homini. De qua si dixerō, quod
sit Magistra universæ honestatis, ac Regina omnium
virtutum moralium, non erravero. Ast ea non bene-
ficio naturæ, sed longo usu, ac indefesso studio compa-
ratur.

ratur. Hinc juvenes imprudentes audiunt, quia destituuntur experientia, à quâ operoso plurium annorum partu, gignitur prudentia, quâ vel disponimur ad vitam secundum leges honestatis transigendam: vel idonei reddimur ad alios recte gubernandos. Potest tamen etiam jurisprudentia dividi in naturalem latè vel improprie, & strictè sumptam; illâ intelligimus ea, quæ sunt consentanea rationi naturali, non tamen ab ea præcepta; item ea, quæ sunt dissentanea recte rationi, non tamen ab ea prohibita. Et hæc juris naturalis notitia latissimè patet: cuius pars magna solet transire in leges per jura positiva, quæ sœpe illis, quæ hujus juris sunt, superaddunt vim & obligationem legalem: ut liquet passim ex jure canonico & civili. Pars contra solet relinqui in statu suo naturali: de illis tamen quæ hoc pertinent, non semper satis convenit, ne qui dem inter Eruditos; ut constat ex frequenti dissensu Doctorum circa probabilitatem, & improbabilitatem opiniorum in re morali. Hinc colligitur, hanc naturalem jurisprudentiam plurimum pendere ab ingenii & judicij sagacitate, prudentiâ, diligenti cultu & exercitio: quin & maximè hoc conferre scientiam juris positivi, præsertim Canonici & Romani; quod, si aliqua parte deficiat, ita ut casus propositus nullâ probabili ratione vel interpretatione inde queat resolvi, prout frequenter accidit in humanis legibus, quippe quæ non possunt sigillatim omnes articulos, casus, & hypotheses particulares decisione suâ complecti. L. 12. ff. de LL. recurrentum est ad jus & æquitatem naturalem; & inde supplendus defectus juris positivi. Indicat hoc ipsum Iustus in L. 2. §. 5. ff. de aq. & aq. plur. arcend. ibi:

Hæc

Hæc æquitas suggestit, et si jure deficiamur. Et Modestinus
in L. 13. §. 7. ff. de excusat. tutor. ibi: Sufficit fidem firma-
re ex ipsa naturali justitia. In defectu enim omnis ju-
ris positivi debet extare alia norma aut mensura justi
& injusti. Sed hæc non potest esse alia, quam lex vel
æquitas naturalis, cum natura non deficiat in necessa-
riis. Si itaque jus positivum sit obscurum & incer-
tum, econtra jus & æquitas naturalis clara, certa, &
indubitate, standum est juri naturæ certo, indeque jus
positivum dubium interpretandum est ex jure claro &
certo, positivum ex jure naturali, Humanum ex Divi-
no, Civile ex Canonico, scriptum ex non scripto; &
econtra. Semper tamen, quantum potest fieri, jura
juribus concordanda sunt. Jurisprudentia positiva,
quæ est notitia eorum, quæ cauta sunt jure positivo tan-
quam justa vel injusta, pro obtainenda justitia positiva,
potest scindi in tot partes, quot sunt universim species
juris positivi: ut nempe alia sit, & dicatur jurisgen-
tium, alia Juris Divini, alia Humani, & hæc iterum vel
canonica, vel civilis; hæc verò vel Attica, vel Sparta-
na, vel Römana. Ubi tamen circa Romanam monen-
dum, eam non esse merè positivam, sed ex magnâ par-
te naturalem. Hinc Hahnus ad Wesenbec. de j. & j. Ro-
mana jurisprudentia, ait, tantum ratione gentis, & quā pro-
fessa est, denominatur Romana: reapse (intellige majorem
partem) est universalis, solidis justi & injusti rationibus
per omnia fere inserris, ad normam illius universalis compo-
sta, cum ea conjuncta, & ad eam revocata. Rachel. in præ-
fat. inst. ait: Jurisprudentia Romanæ libri non tantum sua
& Romana jura complectuntur, legibus merè arbitrariis pro-
posita, sed & eximiis juris naturalis commentationes. Et

¶ 3

alibi:

alibi: Expendat quis totum Digestorum Volumen, & de-
prehendet juris naturalis sciens, bujus solidâ cognitione
Ictiorum infinitas, easque justinianaeas conclusiones subnixas
esse. Quare etiam ius Romanum ab aliis Europæ Gen-
tibus passim receptum est, præsertim in illis casibus,
ubi deficiunt jura patria. Porro dividitur jurispruden-
tia in Theoricam & practicam. Illa consistit in sola &
nuda cognitione præceptorum, seu legum juris, non
transferendo eas ad usum, sive non applicando ad
actiones hominum, pro obtainenda earum justitia. Pra-
ctica jurisprudentia est, cum quis jura rectè cognita
novit ex arte applicare ad negotia hominum, eadem-
que pro re nata sic applicat. Inde sequitur ad theoriam
juris pertinere, ius exacte interpretari, in id commentari,
de eo disputare, & plura alia. Econtra ad praxin inter
alia pertinere, ius partibus dicere, cognoscere, patro-
cinari clientibus, vel orare causas in foro, leges appli-
care facto, ostendere quatenus partes in suo toto, ejus-
demque vi & efficacia comprehendantur, secundum
L. in toto 113. ff. de R. I. Et an semper specialia genera-
libus insint, secundum *L. semper 147. d. t.* Quam le-
gem pro lectione cursoria elegit

NOBILIS ET CLARISSIMVS
DOMINVS
**CAROLVS EHREGOTT
BOERNERVS,**

Drebachio-Misn.

Natus Drebachii in Hermunduris, anno Christi
MDCCV. patre viro Reverendo Dn. JOANNE DAVI-

DE

DE BOERNERO, liberalium artium Magistro, & istius,
ad Ephoriā Annæbergensem spectantis, ecclesiæ,
per triginta, & quod excurrit, annos, optime merenti,
matre autem SVSANNA MARGARITA, e gente Reben-
trostiorum, per Elektoratum Saxonie quondam non in-
celebri oriundus. Parentibus hisce, prout vitales post
Deum ortus, innumeraque alia beneficia debet, ita &
imprimis ea, quæ, in studiis incrementa cepit, iisdem
in acceptis refert. A puerō enim bonas litteras deamare
cœpit, proindeque in ædibus primum paternis, priva-
tis, mox etiam in Lyceo Chemnicensium publico, M.
DANIELIS MÜLLERI & Divi nunc M. CHRISTIANI
HENRICI WEISII, opera usus, per septem annos con-
tinuos, iis artibus, quibus haec ætas impetriri solet, li-
beraliter imbutus fuit, ad altiora dehinc pergens, ha-
bita oratione publica de judiciis Romanorum centum
viralibus, Chemnicensium subsellia liquit, annoque
MDCCXXIV. Lipsiam, bonarum artium illam mér-
caturam, se contulit, animumque ad jurisprudentiam
appellens, in Philosophicis MÜLLERI atque BIRN-
BAVMII, in Juridicis vero KÆSTNERI, DINCKLERI,
B. MENCKENII, WEIDLINGII, RIVINI, & qui pri-
mo nominandus erat, RECHENBERGII ab ore assidue
pependit, cumque ex mente Divi Justiniani quinquen-
nium ferme ibi exegisset, a Facultate Juridica Lipsiensi
ad Examen pro Praxi, quod dicunt, admissus fuit, elab-
oratisque specimini bus consuetis, Dresdæ tandem co-
ram summo Electoratus Saxonici Regimine in nume-
rum advocatorum est relatus, ex quo in Praefecturis
ejusdem Electoratus, Wiesenburghensi & Stollbergensi ad
quartum usque annum Actuarii munus rite obiit, causis
nunc

nunc in foro perorandis operam daturus; Id quod, quo
feliciori fiat successu, summos in utroque jure honores
a Facultate nostrâ Juridicâ, ideoque ad consuetum ex-
amen rigorosum admitti decenter petiit. Petitioni huic
annuimus, & more consueto, Textus ex utroque jure re-
solvendos eidem transmisimus, quos in examine exacte
resolvit, & ad quæstiones propositas tam solidè respon-
dit, ut ad ulteriora specimina admissus, supremisque juris
honoribus unanimi consensu dignus judicatus sit. Qua-
re proximâ die Mercurii, quæ erit 31. Octobr. horis con-
suetis ad dict. L. Semper. 147. ff. de R. I. lectionem curso-
riam, eaque finitâ, Disputationem Inauguralem, DE
PROBATIONE PRO EXONERANDA CONSCIE-
NIA, habebit. Ad quos actus solennes Magnificus Do-
minus Rector, nec non Domini Proceres & Cives
Academicci perhumaniter invitantur. Publicatum
sub Sigillo Facultatis Juridicæ die XXVIII. Octobr.
MDCCXXXI.




ULB Halle

3

005 367 751



VDN 8



B.I.G.



29

1731, 24

FACVLTATIS JVRIDICÆ
DECANVS,

JO. PHILIPPVS
Streit, JC Tvs,

EMINENTISSIMI AC SERENISSIMI PRINCIPIS
ELECTORIS MOGVNTINI CONSILIA-
RIVS REGIMINIS,

L. B. S.

ERFORDIÆ,

Typis JOH. CHRISTOPHORI HERINGII,
Acad. Typogr.